



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

3 Vtrum consensus sit de fine, vel de his quæ sunt ad finem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

quitur. Si autem aliquid ex pluribus sequi possit, non propter hoc posterius remouetur uno priorum remoto: sicut si induratio possit fieri & a calido, & frigido (nam lateres indurantur ab igne, & aqua conge lata iuduratur ex frigore) non oportet quod remoto calore, remouetur induratio. Executio autem operis non solum sequitur ex consensu, sed etiam ex impetuoso appetitu, qualis est in brutis animalibus.

AD TERTIVM dicens, quod homines, quod ex passione agunt, possunt passionem non sequi, non autem bruta animalia: unde non est similis ratio.

ARTICVLVS IIII.

Utrum consensus sit de fine, uel de his, quae sunt ad finem.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod consensus sit de fine, quia, Propter quod unum quodque, & illud magis: sed his quae sunt ad finem, consentimus propter finem, ergo fini consentimus magis.

¶ 2 Præ. Actio intemperati, est finis eius, sicut & actio uirtuosi, est finis eius: sed intemperatus consentit in proprium actum, ergo consensus potest esse de fine.

¶ 3 Præ. Appetitus eorum quae sunt ad finem, est electio, ut supra dictum est. Si igitur consensus esset solum de his quae sunt ad finem, in nullo ab electione differre uideretur: quod patet esse falsum per Dam. quod dicit, quod post disputationem, quae uocauerat setentiam, sit electio. non ergo consensus est solum de his quae sunt ad finem.

SED CONTRA est, quod Da. ibidem dicit, quod consensus, siue sententia est, quoniam homo disponit, & amat quod ex consilio iudicatum est: sed consilium non est nisi de his quae sunt ad finem, ergo nec consensus.

RESPON. Dicendum, quod consensus nominat applicationem appetitui motus ad aliquid praexistens in parte applicantis. In ordine autem agibili, primo quidem oportet sumere apprehensionem finis, deinde appetitum finis, deinde consilium de his quae sunt ad finem, deinde appetitum eorum, quae sunt ad finem. Appetitus autem in ultimum finem tendit naturaliter, unde & applicatio motus appetitui in finem apprehensum, non habet rationem consensus, sed simplicis uoluntatis. De his autem quae sunt post ultimum finem, in quantum sunt ad finem, sub consilio cadunt: & sic potest esse de eis consensus, in quantum motus appetitui applicatur ad id, quod ex consilio iudicatum est. Motus uero appetitui in finem, non applicatur consilio, sed magis consilium ipsi, quia consilium praesupponit appetitum finis: sed appetitus eorum quae sunt ad finem, praesupponit determinationem consilii. Et ideo applicatio appetitui motus ad determinationem consilii, proprie est consensus. uero cum consilium non sit nisi de his, quae sunt ad finem, consensus, proprie loquendo, non est nisi de his quae sunt ad finem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut conclusiones scimus per principia, horum tamen non est scientia, sed quod maius est. Intellectus: ita consentimus his quae sunt ad finem propter finem, cuius tamen non est consensus, sed quod maius est, scilicet uoluntas.

AD II. dicendum, quod intemperatus habet pro fine delectationem operis, propter quam consentit in opus magis, quam in ipsam operationem.

AD III. dicendum, quod electio addit supra consensum quandam relationem respectu eius, cui aliquid praeligitur: & ideo post consensum adhuc remanet electio. Potest contingere, quod per consilium inueniantur plura ducentia ad finem, quorum dum quodlibet placet, in quodlibet eorum consentitur: sed ex multis

quae placent, praecipimus unum eligendo. Sed si inueniatur unum solum quod placeat, non differunt re consensus & electio, sed ratione tantum: ut consensus dicatur secundum quod placet ad agendum: electio autem secundum quod praefertur his, quae non placent.

ARTICVLVS IIII.

Utrum consensus in actum pertineat solum ad superiorem animae partem.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod consensus ad agendum non semper pertineat ad superiorem rationem.

Delectatio enim consequitur operationem, & perficit eam, sicut de cor iuuentem, sicut dicitur in 10. Eth. sed consensus in delectationem pertinet ad inferiorem rationem, ut dicit Au. in 12. de Tri. ergo consensus in actum non pertinet ad solam superiorem rationem.

¶ 2 Præ. Actio, in quam consentimus, dicitur esse uoluntaria: sed multarum potentiarum est producere actiones uoluntarias, ergo non sola superior ratio consentit in actum.

¶ 3 Præ. Superior ratio intendit aeternis inspicendis, & consilium, ut Aug. dicit in 12. de Trin. sed multoties homo consentit in actum non propter rationes aeternas, sed propter aliquas rationes temporales, uel etiam propter aliquas animae passiones. non ergo consentire in actum pertinet ad solam superiorem rationem.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit 12. de Tri. Non potest peccatum efficaciter perpetrandum mente discerni, nisi illa mentis intentio, penes quam summa potestas est membra in opus mouendi, uel ab opere cohibendi, malae actioni cedat, & seruiat.

RESPON. Dicendum, quod finalis sententia semper pertinet ad eum, qui superior est, ad quem pertinet de aliis iudicare. Quamdiu, non datur finalis sententia. Manifestum est autem quod superior ratio est, quae habet de omnibus iudicare, quia de sensibilibus per rationem iudicamus: de his uero quae ad rationes humanas pertinent, iudicamus secundum rationes diuinas, quae pertinent ad rationem superioris. Et ideo quantum ad incertum est, an secundum rationes diuinas restatur, uel non, nullum iudicium rationis habet rationem finalis sententia. Finalis autem sententia de agendis, est consensus in actum: & ideo consensus in actum pertinet ad rationem superioris, secundum tamen

Super quest. decima quinta articulum quartum.

Irca quarum uero articuli plura occurrunt dubia. Primum est, quia author contradicit sibi in corpore, & in responsione ad primum. Repugnant enim haec duo, scilicet quantum ad incertum est, an secundum rationes diuinas restatur, uel non, nullum iudicium rationis habet rationem finalis sententia. Et consensus in delectationem pertinet ad rationem inferiorem. Et patet repugnantia, quia consensus in delectationem cogitationis est quandoque peccatum mortale, & consequenter finalis sententia, & contra rationes diuinas quodammodo.

Ergo ita, quod si ratio inferioris, & contra rationes diuinas, quod sit mortale peccatum, & non finalis sententia. Et si est finalis sententia, & contra rationes diuinas, quomodo ad rationem inferiorem spectat? Et augetur dubitatio, quia Augustinus, decimo secundo de Trinitate, capitulum decimo secundo, unde quaestio haec manet, expresse dicit, quod talis consensus spectat ad rationem inferiorem solum. Sic, inquit, habendum puto, quasi sola uoluntas comedat. Secundum est, de distinctione, quae fit in responsione ad primum de cogitatione, ut est actio quaedam, & ut est ad aliam actionem ordinata: quia non uidetur ad propositum, sed potius ad oppositum. Non ad propositum quidem, quia cogitatio delectans, in quam consentire dicitur ratio inferior, non ordinatur ad actionem. Est enim cogitatio delectationis morose absque uoluntate operis, ut patet per Augustinum, ibi demum. Ad oppositum uero, quia cogitatio, ut est actio quaedam delectans, est ipsa cogitatio morose delectationis. Et si ipsa secundum litteram praesen-

q. 13. ar. 3.

li. 2. Orth. fi dei c. 23.

li. 3. Orth. fi dei c. 22.

Ca. 4. Phil. post mediu. to. 5. Ca. 12. to. 3.

Ca. 7. in fin. to. 3.

Ca. 15. circa med. to. 3.